

QUÆSTIO MEDICA,

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS mane discutienda in Scholis Medicorum die Jovis vigesima nona Novembris.

M. JOANNE ANTONIO BOURGAUD, Doctore Medico, Præside.

An in morbis melancholicis purgatio per inferiora?

I.

BLANDISSIMUM vitæ condimentum sanitas: absque eâ nulla naturæ, nulla fortunæ bona; longiûs ab eâ recedit qui mente laborat, quam qui ægrotat corpore. Cunctis hominibus eadem animæ perfectio. Ingenii varietas ab organorum conformatione & humorum dispositione pendet, sicut morborum diversitat. Tenuis humor ut plurimum acutos parit, crassus chronicos. Inter chronicos reponitur melancholia, quæ mentis alienatio est cum metu & tristitia. Hunc affectum generat cerebri dispositio cum pravâ sanguinis indole & partium inferiorum vitio. Suspirium frequens, somnia terrifica, silentium, demissio animi, desidia, he-

betudo, oblivio, lucis fuga, contemptus rerum omnium hanc comitantur ægritudinem. Hæc omnia arguunt crassioris ac terreni humoris dominium.

I I.

ANIMÆ proprium est cogitare. Inter eam & corpus insigne societatis vinculum. Ex diversis partium corporis motibus variæ exurgunt in animâ cogitationes, & vice versâ distinctæ cogitationes distinctos motus edunt in corpore. Mutuus ille concursus ex summi opificis decreto perficiscitur. Animi pathematis occasionem præbet humorum natura. Gaudium à laudabili sanguine & mediocriter subtili, dum blando ejus motu cerebrum placide commovetur, unde grata animæ cogitatio. Furor, ira, audacia, rapidissimum bilis motum sequuntur. Mæstus & tristis est qui non posse se putat imminens malum arcere, aut optatum bonum consequi, propter imbecillitatem virium, motus inertiam, membrorum segnitiem. Unde hæc? nisi ab humore melancholico vix mobili spiritus obtundente.

I I I.

CORPUS humanum ex infinitis pene numero canaliculis unum efficitur. Per hos varii liquores trajiciuntur quorum alii utiles, alii excrementitii: illos sursum si tenues, deorsum si crassi, natura propellit. Ne credas tamen partes infernas spiritu orbari; hic actionum cujuslibet partis primus auctor. Inter liquores corpori inservientes debent esse temperies, partium moles, quantitas recto usui consona; secus corporis œconomiam interturbant. Morbi natura, partium conditio, earum situs, indicant remedii formam quantitatem, & quâ viâ sit eliminandus humor. Debet medicus naturæ minister & imitator illius motum sequi: sic

tenuis humor, si peccat, tum per habitum corporis, quo fertur, tum per superiora est abigendus, crassus tantum per inferiora.

I V.

QUO vividior alicujus corporis motus eo magis à centro recedit, motus sui impedimenta facilius superat, & lineam rectam describit: unde sanguinis è sinistro cordis sinu prorumpentis tenuior portio ad caput avolat, crassior pellitur ad inferiora. Hujus terreni succi sedes est ac receptaculum lien ac mesenterium cum eorum vasis. His obstructis moles sanguinea à succo melancholico non repurgatur, hinc circuitu sanguinis fæx illa rapitur ad diversas partes inquibus tam multa generat symptomata. Tot malorum curationem, natura monstrante viam, prudenter aggreditur qui confugit ad catharticum, sectâ prius saphenâ; hac semitâ quâ sponte fertur crassus humor citius, tutiusque foras educitur.

V.

OBSCURE loquitur qui catharticum sympathiâ aut antipathiâ agere, contendit; clarius qui affirmat idem irritando purgare, & novam excitando in humoribus fermentationem. Emeticorum & catharticorum actio discrepat, quod illorum evolutio fiat in ventriculo; horum dissolutio inchœtur in stomacho perficiatur in intestinis. Emetica constant particulis tenuibus & efferis, motuque concitatissimo præditis cerebrum lædunt vehementi concussione, partibus superioribus humorem melancholicum impinguunt potius quam ex iis eliminant ob augustores meatus vacuandis succis crassioribus ineptos. Puta vomitum esse motum ventriculi non naturalem: is nunquam suscitatur absque periculo. Quæ per inferiora purgant minorem vim inferunt corpori, humo-

ris vacuationem naturæ consentaneam moliuntur per vias corporis patentiores, aptioresque expulsioni crassioris excrementi: à principibus partibus humorem noxium removent, sedem morbi oppugnant in abdomine sitam; hinc melancholicâ percitis, apertio saphenæ, quæ corpus à crasso sanguine repurgat, proficua: sicut hæmorrhoidum fluxus morbos melancholicos soluit.

Ergo in morbis melancholicis purgatio per inferiora.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Ludovicus Labbé. *M. Andreas Engueard.* *M. Josephus Thomaßeau.* *M. Ludovicus Poirier.* *M. Petrus Bonnet.* *M. Joannes Baptista Moreau.* *M. Petrus Mersenne.* *M. Joannes Garbe.* *M. Paulus Courtois.*

Proponebat Parisiis ANTONIUS VARIN, Parisinus Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1685.

Apud Franciscum Muguet, Regis & Facultatis Medicinæ Typographum.